

Fidei præpositorum consilio, te qui in minoribus constitutus habitum per Fratres Ordinis Beate Mariæ de Monte Carmelo gestari solitum suscepisti, & professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisisti, regulares, nostrum, & Apostolicæ Sedis Visitatorem in præfatis Insulis maris Ægei, Zacynthi, & Cephalonie, aliisque locis adjacentibus apostolica auctoritate tenore præsentium constituimus, & deputamus, cum facultate quacumque Cathedralis, etiam Metropolitanas, Collegiatas, Parochiales, & alias Ecclesias, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutuum regularium etiam Societatis Jesu Monasteria, tam virorum, quam mulierum, Conventus, Domos, Hospitia, Collegia, residentias, aliaque loca regularia, Hospitalia quoque, Confraternitates, & alia Pia, & Religiosa Loca quæcumque, etiam de Jurisdictione laicorum in Insulis, aliisque locis adjacentibus præfatis existentia, eorumque Prælatos, Capitula, Conventus, Superiores, & personas tam laicas, quam ecclesiasticas seculares, & regulares cuiusvis status, gradus, ordinis, præminentie, & dignitatis existant, tam in capite, quam in membris semel tantum auctoritate nostra visitandi, ac in illorum statum, vitam, mores, ritus, & disciplinam diligenter inquirendi, necnon Evangelicæ, & Apostolicæ Doctrinæ, Sacrorumque Canonum, & Generalium Conciliorum decretis, & Sanctorum Patrum traditionibus, regularibusque eorum Institutis respective inhærendo, quæcumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione, & renovatione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi, revocandi, renovandi, ac etiam de novo condendi, condita Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Regularibusque Institutis prædictis non repugnancia confirmandi, abusus quoscumque tollendi, Regulas, Institutiones, ac Ecclesiasticam, Regularemque disciplinam ubicumque corruperint, modis congruis restituendi, & reintegrandi, dicti Concilii Tridentini Decreta custodiri præcipiendi, distantesque personas ad debitum, & honestum vitæ modum revocandi, & quidquid statueris, & ordinaveris observari faciendi, inobedientes per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia compescendi, aliaque omnia, & singula in præmissis, & circa ea, ac pro hujusmodi munere rite, & recte explendo necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, mandandi, & exequendi; præterea conferendi Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis usque ad Presbyteratum inclusive, si Sacerdotum necessitas ibi fuerit; Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt, dispensandi super defectu ætatis unius anni operatiorum penuriam, & promoveri pos-

Facultates all-  
qua concedit.

sint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint; dispensandi, & commutandi vota simplicia, etiam castitatis, ex rationabili causa in alia pia opera, non tamen Religionis; dispensandi in quacumque Simonia, & in reali dimissis Beneficiis, & super fructibus male perceptis, in iuncta poenitentia salutaris, elemosyna arbitrio dispensantis; Dispensandi in tertio, & quarto consanguinitatis simplici, & mixto, & in secundo, tertio, & quarto mixtis, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia, quo vero ad præterita etiam in secundo solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his, qui ab hæresi, vel infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, & in prædictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam, dispensandi super impedimento publicæ honestatis Juris ex sponsalibus proveniente; Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi Jus petendi debitum amissum; Dispensandi in impedimento cognationis spiritalis, præterquam inter levantem, & levatum; hæc vero dispensationes matrimoniales, videlicet sexta, septima, octava, & nona non concedantur nisi cum clausula dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, & in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerunt concessæ; dispensandi cum Gentilibus, & Infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem, & baptismum, quam ex illis maluerint, si etiã ipsa fidelis fiat, retinere possint nisi prima voluerit converti; Consecrandi Olea cum Sacerdotibus, qui poterunt haberi, dummodo ad minus sint quinque, non tamen extra diem Cœnæ Domini; delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit Sacra Unctio, & reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, & in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo, largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam contritis, & confessis, ac Sacra Communione refectis; absolvendi ab hæresi, & apostasia a fide, & a schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos tam seculares, quam regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur hæreses deliquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur hæreses, & post judicialem abjuracionem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientie tantum; absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis; concedendi Indulgentiam plenariam primo convertis ad hæresim, atque etiam Infidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt; concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione quadraginta horarum

ter in anno indicenda diebus tibi benevisis, contritis, & confessis, ac Sacra Communione refectis, si tamen ex concursu populi, & Expositione Sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit Sacrilegii ab Hæreticis, & Infidelibus, aut magistratum offensum iri; lucrandi tibi eisdem Indulgentias; singulis, secundis feriis non impeditis officio novem lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti celebrando Missam de Requiem in quocumque Altari, etiam portatili, liberandi animam secundum tuam intentionem a Purgatorii poenise per modum suffragii; tenendi, & legendi, non tamen aliis concedendi libros Hæreticorum, vel Infidelium de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinci, Nicolai Machiavelli, ac libros de Astrologia Judicaria principaliter, aut incidenter, vel alias quomodolibet de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non effertantur; prædicandi Parochiis Regulares, eisque suos deputandi Vicarios in defectum secularium, de consensu tamen suorum Superiorum; celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut in prima Missa non sumptis ablutionem, per unam horam ante auroram, & aliam post meridiem, sine Ministro, sub die, & sub terra, in loco tamen decenti, etiam si Altare sit fractum, vel sine Reliquiis Sanctarum, & presentibus Hæreticis, Schismaticis, Infidelibus, & excommunicatis, si aliter celebrari non possit. Caveas vero ne prædicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis, & rarissime utaris, in quo graviter tuam conscientiam oneramus. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferri apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui ab hac Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit: serio tunc conscientie injungimus, ut paucis dumtaxat, & iisque maturioris prudentie, ac zeli, & qui absolute necessarij sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, & ad breve tempus eandem communices, aut respective causas approbes: deferendi Sanctissimi Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab hæreticis, aut Infidelibus sit periculum sacrilegii; induendi vestibus secularibus, si aliter, vel transire ad loca tunc curæ commissa, vel in eis permanere non poteris; recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium tecum deferre non poteris, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeas; dispensandi quando expedire videbitur super usu carni, ovorum, & lactiniorum tempore jejuniorum, & præsertim Quadragesimæ. Ac prædictas facultates communicandi, non tamen illas, quæ actum in iuncta tibi visitationis concernunt, quæve requirunt Ordinem Episcopalem,

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI

vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercantur, Sacerdotibus idoneis, qui in Insulis, & locis præfatis, ac in prædicta Visitatione laborabunt, & præsertim tempore tui obitus, ut tunc sit, qui possit supplere donec Sedes Apostolica certior facta (quod quamprimum fieri debet per delegatos, vel unum ex eis) alio modo provideat, quibus delegatis auctoritate apostolica facultatem concedimus post obitum tuum in casu necessitatis consecrandi Calices, Patenas, & Altaria portatilia Sacris Oleis ab Episcopo tamen benedictis.

§.1. Ceterum volumus, ut prædictæ facultates gratis, & absque ulla mercede exercentur, & durante tempore visitationis concessæ intelligantur, nec illis ullo modo uti possis extra fines tue visitationis; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

§.2. Mandantes propterea omnibus, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Prælatibus, Capitulis, aliisque personis ecclesiasticis tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, & Institutum, etiam præfate Societatis Jesu regularibus, ceterisque, ad quos spectat, & qui in prædictis Insulis, & locis resident, ut te, uti Visitatorem Apostolicum a Nobis, ut præfertur, deputatum recipiant, & recognoscant, ac tibi in omnibus ad visitationem præfate spectantibus omnino parent, & obsequantur, tuæque salubria monita, & mandata humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§.3. Volumus autem, ut si quæ graviora in hujusmodi visitatione repereris, ea, necnon informationes omnes in hujusmodi visitatione sumendas sub tuo sigillo clausas ad Nos, seu memoratam Cardinalium Congr. quamprimum diligenter transmittas, ut quod desuper statuendum fuerit, matura consultatione adhibita decernamus.

§.4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum Hospitalium, Conventuum, Collegiorum, Ordinum, Congregationum, & Institutuum Regularium, etiam Societatis præfate, & Locorum Piorum quorumcumque, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, & Lit. Apostolicis illis, eorumque Præfatis, Prælatibus, Superioribus, & personis secularibus, & regularibus quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis

Ab omnibus  
ut Visitator  
Apost. reco-  
gnosci man-  
dat.

Etque de  
occurrentibus  
dat modum  
ceteriorandi  
Sedi.

Contraria  
derogant.

in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Julii 1666. Pontificatus nostri Anno XII.

Dat. die 2. Julii 1666. An. XII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

**DXLVIII.**  
Circa novam formam assumendi Electores Rotæ Civitatis Perusin.

**ALEXANDER PAPA VII.**  
*Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

**P**aterna, quam de nostris, & Sedis Apostolicæ subditis, gerimus, cura Nos inducit, ut eorum commodis, atque utilitatibus consulere jugiter studeamus.

Supplicatio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Priores, seu Decemviri Civitatis nostræ Perusin. quod cum antea hac singulis vicenniis in eadem Civitate fieri solitus fuerit Sacculus eorum, qui interea singulis quadrienniis novos Auditores Rotæ ejusdem Civitatis eligere deberent, & alias prout in Capitulis impressis super Institutione Auditorii Rotæ hujusmodi *Cap. 2. de Electionibus, & forma electionis* uberius dicitur contineri; Experientia vero compertum sit, hunc modum, seu formam electionis hujusmodi multis incommodis causam præbere, eo quod omnibus notum esse quinam electionem facere deberent, hi vero auctoritate, & gratia potentium ad eligendos ab illis dependentes semper adigerentur, unde magis apti, & idonei, ejusmodi favoribus, & dependentiis carentes, exclusi remanebant, admittis parum habilibus, & propter penuriam concurrentium pluries necesse fuerat admittere quosdam, qui qualitatibus ad ejusmodi munus requisitis præditi non erant: Ipsi Exponentes, ut huic in posterum occurrerent absurdo, & tam commendatione sussulti, quam ea carentes voti exitum sperare pro merito valeant, cum presentia, & consensu Vicegerentis dilecti filii Gubernatoris dictæ Civitatis, & reservato quatenus opus esset dictæ Sedis beneplacito, præfatæ Rotæ Electores sequenti forma, abrogata veteri, in futurum sin-

gulo quadriennio constituerent eligendos, videlicet, ut postquam seniores Collegii utriusque Juris Doctorum die 28. Decembris ex toto candidatorum numero octo de more elegerint, die 2. Januarii immediate sequentis, seu alia commodiori coram Vice-Legato, seu Gubernatore dictæ Civitatis, vel ejusdem Gubernatoris Lucumtente, seu Vicegerente, & Decemviris pro tempore existentibus de mane congregatis ex omnibus officiis Decemviratus, Consularatus Collegii Nobilium Mercantia, & Auditoratus Collegii Nobilium Cambii e currenti sacculo jam extractis, suoque munere defunctis, & si unum, vel duos ex his tantummodo tunc reperiri contingat ex omnibus præfatis officiis etiam præcedentis sacculi, facta prius a præsentibus Decemviris in mortuorum, & absentium locum subrogatione, unum ex quolibet genere dictorum officiorum forte extrahatur, quæ tria officia sic extracta eadem die coram eisdem, ut supra legitime de sero convocata illico eligant quinquaginta viros prudentes, probos, ac Deum timentes Cives Perusinos, ætate, ac rerum experientia graves, & nemini ipsorum eligentium in primo, vel secundo gradu attententes, decem scilicet pro unaquaque porta, quorum nominibus statim in urnam pro singulis portis singillatim conjectis, viginti forte extrahantur, quatuor videlicet pro qualibet porta, & hi ex dictis octo Doctoribus ab utriusque juris Collegio electis quatuor more solito infra decendium eligant, declarantes, quod per Electores hac nova forma eligendos faciendos sit prior futura præfatæ Rotæ electio de Anno 1670. quibuscumque non obstantibus, & quamvis in sacculo aliqui secundum veterem modum electi adhuc existerent. Quare dicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt ut novam formam hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ robore communire de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latas, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut nova forma supra expressa pro primo quadriennio tantum a dicto anno 1670. computanda servari libere, & licite possit, & debeat, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 3. Decernentes easdem præsentis Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & de-

Confirmat novam formam eligendi Aud. Rotæ Perusin.

Decretum irritans.

legatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis lit.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Civitatis, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 6. Julii 1666. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die sexta Julii 1666. Pontificatus nostri Anno XII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

**DXLIX.**

Confirmatio Decreti Congregationis Rituum, quod sint servanda decreta dictæ Congregationis sub die 21. Januar. 1662. super celebratione Festi S. Georgii de Præcepto, & sub die 24. Maii 1664. super concessione Officii ejusdem ad favorem Principatus Cathalonæ, & Cleri edita.

**ALEXANDER PAPA VII.**

*Ad futuram rei memoriam.*

Recente decreta edita.

§. 1. **E**manavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Sacra Rituum Congregatio censuit servanda esse Decreta ipsius S. Congregationis sub die 21. Januarii 1662. super celebratione Festi Sancti Georgii de Præcepto, & sub die 24. Maii 1664. super concessione officii ejusdem, ad favorem Principatus Cathalonæ, & Cleri edita, necnon esse demandandas executioni Literas Apostolicas in forma Brevis pro observantia dictorum decretorum die prima Septembris expeditas, non obstantibus oppositionibus Archiepiscopi, & Concilii Terraconen. super dictarum Literarum subreptione, & obreptione, aliisque contrariis quibuscumque. Hac die 26. Junii 1666.

M. Episcopus Sabinen. Card. Ginettus. Bernardinus Casalius S. Rituum Congregationis Secret.

Eadem a Pontif. confirmatur.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Cleri, & Populi d. Principatus Cathalonæ Nobis subinde exposi-

tum fuit, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent. Nos specialem eisdem Clero, & Populo gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latas, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiciamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentis Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die decima septima Julii 1666. Pontificatus nostri Anno XII.

Decretum irritans.

Contraria tollit.

Dat. die 17. Julii 1666. An. XII.

**DL.**

Confirmatio Decreti in Capitulo Generali Congregationis Sanctorum Vitonis, & Hidulphi Ordinis S. Benedicti editi, quod licet Fratres Laici, seu Commissi nulla emittant vota, sed tantum elapso biennio ad stabilitatem reciperentur; nihilominus vota simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittere debeant, servanda quandiu permanserint in eadem Congregatione, ex qua a Superioribus expelli possunt, non autem propria voluntate discedere.

Ex Regest. in Secr. Brev.

**ALEXANDER PAPA VII.**

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**C**ommissa Nobis cœlitus dispensatio nis ratio exigit, ut paternam Christianissimorum Altilimi obsequis sub suavi monastice vitæ jugo mancipatorum curam gerentes, quæ ab ipsis prudenti, salubrique decreta noscuntur esse consilio, quo firma-

Exordium.

Supplicatio.

semper, atque inviolabilia persistant apostolici muniminis praesidio robaremus.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Praesidens, & Definitores Capituli Generalis Congregationis Sanctorum Vitoni, & Hidulphi Ordinis S. Benedicti, quod circa receptionem Fratrum Laicorum, seu Commissorum olim in Capitulo Generali dictae Congregationis editum fuit decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Quod quamvis in Congregatione Cassinensi, ad cuius instar dicta Sanctorum Vitoni, & Hidulphi Congregatio erecta est Fratres Commilli, seu Laici nulla emittant vota, sed tantum elapso biennio ad stabilitatem recipiantur a Superioribus, & Senioribus, teneanturque quandiu manent in Congregatione servare castitatem, paupertatem, & obedientiam ex praecipito Regule, seu declarationis; ad majorem tamen Fratrum nostrorum Laicorum consolationem concedimus, ut deinceps quando recipiuntur ad stabilitatem ipsam, possint, & debeant votis simplicibus firmantur sub hac forma.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Anno &c., die &c. Ego N. Dilectis N. promitto servare castitatem, paupertatem, & obedientiam, & conversionem mandatorum meorum secundum Regulam S. Benedicti, & Constitutiones Congregationis Sanctorum Vitoni, & Hidulphi coram Deo, & Hominibus, Sanctis, quorum Reliquiae in Monasterio N. requiescunt, & in praesentia Rmi Patris N. Abbatis, seu Prioris quandiu in dicta Congregatione perseverabo, non intendens tamen, quod mihi proprio vitio, seu voluntate liceat ab illa discedere, sed quod si contingeret, ut dictae Congregationis Superiores malis meis moribus, seu vitiis coacti ab illa me expellerent, in illo tantum casu liber, & absolutus ab omni votum, & Religionis obligatione remanerem. In quorum fidem subscripsi &c.

Confirmat Pontifex ut in Rubr.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, praefati Exponentes Decretum hujusmodi longa experientia comprobatum, pro firmiori illius subsistentia, apostolice confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac viso, & mature per eosdem Cardinales considerato Decreto Capituli Generalis praesertiti tenoris, ipsum Decretum auctoritate apostolica tenore praesentium benigne approbamus, & confirmamus, suumque effectum fortiri mandamus.

§.3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictae Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum intertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque;

Derogatio contrariocum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Julii 1666. Pontificatus nostri Anno XII.

Dat. die 30. Julii 1666. An. XII.

D L I.

Indultum deferendi habitum Praelatum pro Abbate Generali Congregationis Canoniorum Regularium Sancti Salvatoris Ordinis Sancti Augustini.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, quem Altissimus Universalis Ecclesiae curae praeposuit, divina dispositione ad ea, per quae personarum Ecclesiasticarum quarumlibet, praesertim insignium Congregationum Canoniorum Regularium regimini, & administrationi, ac ornamento, divinique cultus celebritati, & decori consultiur, libenter intendere, ac in illis pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout locorum, & personarum hujusmodi circumstantiis debite pensatis, ad devotionis Christifidelium augmentum, & propagationem, necnon Altissimi laudem prospicit in Domino salubriter expedire.

Procurium.

§.1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis Mariae Lancii Canonici Congregationis Canoniorum

Supplicatio.

Re-

Abolutio a censuris.

Regularium Sancti Salvatoris Ordinis Sancti Augustini, dictaeque Congregationis moderni Abbatis Generalis petitio, continebat, quod cum inter Congregationes Canoniorum Regularium Italiae, Congregatio Canoniorum Regularium S. Salvatoris Ordinis Sancti Augustini celebris, ac a Sede Apostolica pluribus favoribus, & gratiis decorata existat, illiusque Abbas Generalis Mitra, Baculo, & Annulo Pastoralibus, ceterisque Pontificalibus insigniis utatur, potiarur, & gaudeat, plurimum tamen decori, & dignitati Abbatis Generalis dictae Congregationis videretur convenire, ipsum, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales a Nobis, & Sede praedicta aliqua digniori praerogativa decorari, & illustrari. Quare pro parte dicti Joannis Mariae moderni ejusdem Congregationis Abbatis Generalis fuit Nobis humiliter supplicatum, quatenus ipsum specialis gratiae favore prosequi, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Abolutio a censuris.

§.2. Nos igitur qui Ecclesiarum quarumlibet, & insignium Congregationum decorem, divinique cultus augmentum nostris potissimum temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus, eundem Joannem Mariam modernum Abbatem Generalem, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales praedictos, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati eidem Joanni Mariae Moderno ejusdem Congregationis Abbati Generali, ejusque successoribus Abbatibus Generalibus pro tempore existentibus dictae Congregationis Sancti Salvatoris praedictis, ut de cetero perpetuo futuris temporibus, tam in Romana Curia, quam extra eam, ac ubique locorum, ubi dictum Joannem Mariam, & pro tempore existentes Abbates Generales praedictos pro tempore residere, & morari contigerit, ac in quibusvis visitationibus, capitulis, sessionibus, ac quibusvis actibus, & processibus, etiam coram Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam in Cappellis Pontificiis Mozzettam, & Mantelletam coloris habitus ipsius Congregationis, una cum Pileo, & Bireto Praelatici induere, gestare, & deferre, illisque uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia perpetuo concedimus, & indulgemus, plenamque, & liberam facultatem, & auctoritatem desuper imperatur.

Concedit prout in rubr.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes ipsum Joannem Mariam, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales praedictos super

delatione, gestatione, & usu Mozzettae, & Mantelletae, Pilei, & Bireti praedictorum, a quoquam, sub quovis praetextu, vel causa, aut occasione nullatenus impediri posse, praesentes quoque nostras litteras semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere debere, necnon sub quibusvis similibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illae emanabunt, toties praesentes in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori data per Joannem Mariam, & Successores praedictos Abbates Generales pro tempore existentes quomodocumque eligenda concessas esse, & fore, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ac Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, & Sedis praedictae Nuncios judicari, & definiiri debere, irritumque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, dicta auctoritate decernimus.

Contrariis tollit.

§.4. Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, & Provincialibus, ac generalibus Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae abolutionis, concessionis, indulti, impartitionis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. 8. Idus Aug. 1666. An. XII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominice millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, octavo Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno XII.

DLII.

Confirmatio Decreti Congregationis Rituum, non licere mediis, ut ajunt Canonice neque Terzenariis Ecclesiae Colymbrien, in Regno Portugalliae uti in Choro, & aliis functionibus Ecclesiasticis aequali habitu cum Canonicis, & dignitatibus, hoc est Mozzetta cum Capuccio sine indulto Apostolico.

Ex Regest. in Secta. Brev.

ALEXANDER PAPA VII. Ad futuram rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium

Recentet Decretum Congreg. Rituum

lium sacris Ritibus præpositorum ad petitionem dilectorum filiorum Canonicorum & obtinentium dignitates Ecclesie Colymbricæ. Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

§. 1. Canonici, & dignitates Ecclesie Colymbricæ. in Regno Portugallie exposuerunt Sacre Rituum Congregationi se ab anno 1615. uti Cappuccio, seu Mozzetta juxta consuetudinem aliarum Ecclesiarum Cathedralium dicti Regni, & quod Canonici medii, & terzenarii obtinuerunt eod. tempore a Capitulo usum Mozzette absq; Cappuccio, ut distinguerentur in Vestibus a Canonicis, & dignitatibus juxta præscriptum Cærimonialis Romani; sed cum postea de anno 1616. non acquiescentibus mediis Canonicis, & Terzenariis obtinuerint a Capitulo equalem habitum cum aliis Canonicis, & dignitatibus. Denuo iidem Canonici, & dignitates infiterunt a Sacra Congregatione declarari.

Primo. An mediis Canonicis, & Terzenariis liceat uti in Choro, & aliis functionibus Ecclesiasticis æquali habitu cum eisdem Canonicis, & dignitatibus.

Secundo. An Capitulum potuerit indulgere prædictis mediis Canonicis, & Terzenariis, ut æquali habitu cum Canonicis, & Dignitatibus incedant?

§. 2. Et Sacra eadem Congregatio quoad primum respondit: Non licere mediis, ut ajunt, Canonicis, neque terzenariis uti in Choro, & aliis functionibus Ecclesiasticis æquali habitu cum Canonicis, & dignitatibus, hoc est Mozzetta cum Cappuccio sine indulto Apostolico. Quoad secundum non licuisse, nec licere Canonicis, & Capitulo Colymbricæ. indulgere præfatis Canonicis, neque terzenariis ut possint Mozzetta cum Cappuccio, vel æquali habitu cum Canonicis, & dignitatibus in functionibus Ecclesiasticis incedere. Hac die de cima Aprilis 1666.

M. Episc. Sabinensis Card. Ginnettus. Bernardinus Casalius Sacre Rituum Congregationis Secretarius.

Confirmat Ponticæ.

§. 3. Cum autem, sicut pro parte Canonicorum, & dignitates obtinentium præfatorum Nobis nuper expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocínio communi summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum præfatum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva ta-

men semper in præmissis auctoritate præfate Congregationis Cardinalium.

§. 4. Decernentes easdem præfatas litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si fecerit super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Aug. 1666. Pontificatus nostri Anno XII.

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

Dat. die 18. Aug. 1666. An. XII.

## D L I I I.

Diversæ Ordinationes pro Metropolitanis Ecclesiis Beatæ Mariæ de Pilari, & Sancti Salvatoris Civitatis Cæsaraugustanæ.

Ex Regest. in Secr. Brev.

## ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacrofancti Apostolatus ministerium, quod inscrutabilis divinæ providentiæ altitudo humilitati nostræ, nullo licet meritum nostrorum suffragio, imponere dignata est, ad omnium Ecclesiarum sollicitudini nostræ ab æterno Pastore commissa- rum commodum, quantum Nobis ex alto conceditur salubriter exercere jugi vigilantia fatigantes, exorta inter fideles quoscumque, & præsertim eos, qui in sortem Domini vocati, Sacrifque Ministeriis addicti, in pace, & charitate fraterna assiduum Altissimo famulatum præstare debent, animorum dissidia secundum æquitatis, atque justitiæ regulas dirimere, illisque ne rursus quodcumque excitari valeant, ansam mature præcidere studemus, sicut prudenti deliberatione prævia, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiarum ipsarum honorem, & quietem, ac Spiritualem Domini- cæ gregis ædificationem, expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Itaque causæ cathedralitatis inter dilectos filios Priorem, Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesie Beatæ Mariæ de Columna, seu, ut vulgo dicitur de Pilari Civitatis Cæsaraugustanæ. ex una, ac dilectos pariter filios Decanum, Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesie Sancti Salvatoris ejusdem Civitatis ex altera partibus vertenti finem imponere cupientes de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curie Prælatorum super causa hujusmodi a Nobis specialiter deputatorum, qui negotium mature perpenderunt, accurateque discus-

Exordium.

Motiva hujus Coogitatio.

serunt unanimi consilio, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque apostolicæ potestatis plenitudine, eandem causam, ac lites, & controversias quascumque inter partes antedictas quomodolibet, & in quacumque instantia tam in Sacri Palatii Apostolici causarum Auditorio, quam in alio quovis Tribunali, etiam Nunciaturæ Hispaniarum, & coram quocumque Judge pendentes, quarum omnium, & singularum statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicium, & Colligantium, & alia quæcumque etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirunt præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime specificatis haberi volumus in statu, & terminis, in quibus de præfatis reperiuntur, a præfatis, & aliis quibusvis Tribunalibus, & Judicibus, ad Nos harum serie avocamus, illasque omnes, & singulas penitus, & omnino perpetuo supprimimus, perimus, extinguimus, & abolemus, ac perpetuum desuper utrique parti silentium imponimus, osque occludimus.

Alternativam circa præcedentiam inter hæc duo Capitula in functionibus mandantur sententiarum in subrica.

§. 2. Præterea ad evitandas rixas, & crebra scandala, quæ oriri solent quando in publicis functionibus simul conveniunt Capitula, & Canonici utriusque Ecclesie hujusmodi, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium statuimus, ut inter has duas Ecclesias, earumque Capitula, & personas deinceps perpetuis futuris temporibus servetur Ordo Alternativæ in singulis functionibus Cathedralitatis competentibus, inchoando ab Ecclesia Beatæ Mariæ de Pilari, quæ prior, sive antiquior, & actualis Cathedralis Civitatis Cæsaraugustanæ existit: itaut Provinciale Concilium in præfati triennio celebretur in Ecclesia B. Mariæ absque interventu Capituli Ecclesie S. Salvatoris, & cum præfatis solius Procuratoris ejusdem Capituli, qui sedebit supra omnes Procuratores Capitulum aliarum Cathedralium suffraganearum: & in sequenti triennio celebretur in Ecclesia Sancti Salvatoris sine interventu Capituli Ecclesie Beatæ Mariæ, & cum præfatis solius Procuratoris ejusdem Capituli, qui pariter sedebit supra omnes Procuratores Capitulum aliarum Cathedralium suffraganearum, & sic servetur alternatim in futuris Provincialibus Conciliis in perpetuum; similiter Diocesana Synodus proxima celebretur in Ecclesia B. M. cum interventu solius Procurator. Ecclesie S. Salvat., qui sedebit post Capitulum Ecclesie B. Mariæ: Secunda vero celebretur in Ecclesia S. Salvatoris cum interventu solius Procuratoris Eccl. Beatæ Mariæ, qui itidem sedebit post Capitulum Ecclesie Sancti Salvatoris, & sic deinceps alternis vicibus. Item in prima vacatione Sedis Archiepiscopalis Cæsaraugustanæ Vicarius Generalis, Officialis Major, ac Officialis ad pias causas eligantur ex gremio Capituli Ecclesie Beatæ Mariæ a Capitulo Ecclesie S. Salvatoris, & in secunda vaca-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

tione ejusdem Sedis, Vicarius, & Officiales prædicti eligantur ex gremio Capituli Ecclesie S. Salvatoris a Capitulo Ecclesie Beatæ Mariæ, & sic deinceps alternatim.

Primo autem futuro Archiepiscopo si pontificali more, ac ritu Civitatem ingredi voluerit, occurratur ad portam Civitatis a Capitulo, & Clero Ecclesie B. M.; idemque fiat a Cap. & Clero Eccl. S. Salvatoris cum secundo futuro Archiepiscopo Civitatem solemniter ingredi volente, & sic alternatim. Et id ipsum servetur in receptione Principum.

Similiter primus novus Archiepiscopus possessionis solemniter inchoet in Ecclesia Beatæ Mariæ, ubi literas suæ provisionis præfatis, & actus possessionis expleat: Mox se conferat ad Ecclesiam S. Salvatoris, ibique sedens in Cathedra Archiepiscopali Capitulum, & Clerum ad oris, & manus osculum respectively excipiat, cum solutione dimidiæ partis emolumentorum in utilitatem Ecclesie Beatæ Mariæ, & alterius dimidiæ in utilitatem Ecclesie S. Salvatoris.

Secundus vero Archiepiscopus futurus eadem possessionis solemniter inchoet in Ecclesia S. Salvatoris, ubi similiter literas præfatis suæ provisionis, & actus possessionis expleat: Deinde se conferat ad Ecclesiam Beatæ Mariæ, ibique sedens in Cathedra Archiepiscopali, Capitulum, & Clerum ad oris, & manus osculum respectively excipiat, cum solutione emolumentorum, ut supra, & ita alternatim.

Pariter Processio generalis Sanctissimi Corporis Christi hoc primo anno in ipso die festo inchoetur ab Ecclesia Beatæ Mariæ, & ad eam terminetur absque interventu Capituli Ecclesie S. Salvatoris; & in die octava fiat processio privata infra ambitum Ecclesie S. Salvatoris a Capitulo, & Clero ipsius Ecclesie: Et in sequenti anno in ipso die festo Processio generalis inchoetur ab Ecclesia S. Salvatoris, & ad eam terminetur absque interventu Capituli Ecclesie Beatæ Mariæ; & in die octava fiat processio privata infra ambitum Ecclesie Beatæ Mariæ a Capitulo, & Clero ipsius Ecclesie, & ita singulis annis in perpetuum alternis vicibus.

In supplicationibus quoque, quæ fiunt in Litanis majoribus, & minoribus, nempe S. Marci, & Rogationum, & aliis quibuscumque processionibus generalibus tum ordinariis, tum extraordinariis, quas præsertim fieri contigerit ad instantiam Regis, vel ob aliam publicam causam, prima processio fiat ab Ecclesia Beatæ Mariæ, secunda ab Ecclesia S. Salvatoris, & sic deinceps alternatim, & semper cum interventu Capituli solius Ecclesie a qua fit processio.

Servetur itidem hic ordo alternativæ in dedicatione Metropolitanæ Ecclesie Cæsaraugustanæ, quæ cadit die 17. Julii, itaut hoc anno celebretur solemniter, & Pontificali ritu in Ecclesia Beatæ Mariæ; & in sequenti anno in Ecclesia S. Salvatoris; nec non in festis Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis Domini Pentecostes,

S

tes,

fles, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Jacobi Apostoli, omnium Sanctorum, & aliis per annum solemniter celebrari solitis, ita ut in eorum singulis intersit Archiepiscopus alternatim in alterutra Ecclesia inchoando ab Ecclesia Beate Mariæ. Veruntamen festa Nativitatis, Assumptionis, & Conceptionis beatissimæ Virginis Immaculatæ, ac S. Braulti in Ecclesia Beate Mariæ; Festa vero S. Valerii, ac Sanctarum Julæ, & Secundæ in Ecclesia S. Salvatoris, ut moris est, solemniter quot annis, nullo servato Ordine alternativæ, ab Archiepiscopo celebrari debeant, ita tamen, ut festa hujusmodi minime variant, nec aliquo modo, interrompant alternativam in aliis festi-vatibus.

Ad hæc Cappellani aliarum Ecclesiarum, qui singulis Sabbatis tenentur accedere ad Metropolitanam Ecclesiam ad recipiendum Ordinem recitandi officium in hebdomada sequenti, servent similiter prescriptum Ordinem alternativæ, ita scilicet ut uno Sabbatho recipiant hujusmodi Ordinem ab una Ecclesia Metropolitana, & in sequenti Sabbatho ab altera Metropolitana, initium sumendo a Metropolitana Beate Mariæ. Solemnes quoque Ordinationes, administratio Chrismatis, & solemnitas benedictio candelarum in die Purificationis, necnon concio fieri consueta in Ecclesia Metropolitana per Concionatorem. Hospitalis feria quarta Cinerum, pro prima vice fiant in Ecclesia Beate Mariæ sine assistentia Capituli S. Salvatoris; Et pro secunda vice fiant in Ecclesia S. Salvatoris sine assistentia Capituli Ecclesie Beate Mariæ, & ita in posterum alternatim; idemque servetur in solempni benedictione Palmarum, in consecratione oleorum, & in cæteris functionibus majoris hebdomadæ, quæ hoc primo anno ab Archiepiscopo fiant omnes in Ecclesia Beate Mariæ, & in sequenti anno in Ecclesia S. Salvatoris cum interventu Capituli solius Ecclesie, in qua functiones prædictæ peraguntur.

Nec non in administratione subsidii, & excusati, quæ in primo futuro quinquennio spectet ad Capitulum Ecclesie Beate Mariæ, in secundo ad Capitulum Ecclesie S. Salvatoris, & sic alternatim de quinquennio in quinquennium.

Et generaliter superscriptum Ordinem Alternativæ perpetuo servet Vener. Frater modernus Archiepiscopus Cæsaraugustan. & illius Successores, atque alii ad quos pertinet, & pro tempore pertinebit tam in præmissis quam aliis quibuscumque actibus, & functionibus publicis Cathedraliati competentibus; Archiepiscopus quidem sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesie; alii vero sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda si contra fecerint.

Porrò in Comitibus Regni, in quibus suffragandi jus habent Prior, & unus Canonicus Ecclesie Beate Mariæ, necnon Decanus, & unus Canonicus Ecclesie Sancti Salvatoris, servetur Ordo Alternativæ

quoad præcedentiam, ita videlicet, ut in primis futuris Comitibus Prior, & Canonicus Beate Mariæ præcedant Decano, & Canonico Sancti Salvatoris; contra vero in secundis Comitibus Decanus, & Canonicus Sancti Salvatoris præcedant Priori, & Canonico Beate Mariæ; In aliis vero functionibus, quæ fieri possunt, & solent a Canonicis cuiusque Ecclesie sine Archiepiscopi ministerio, vel præsentia, quales sunt celebratio horarum Canonicarum, Missa, Conventualis, Officium Defunctorum, Anniversaria, Funeraria, Celebratio Capituli, privatæ processiones Ecclesie, & aliæ hujusmodi, nulla servetur alternativæ, sed Canonici Ecclesie Beate Mariæ has, & consimiles functiones faciant in sua Ecclesia seorsim a Canonicis Ecclesie Sancti Salvatoris; Et e contra Canonici Ecclesie Sancti Salvatoris illas faciant in propria Ecclesia seorsim a Canonicis Ecclesie Beate Mariæ, ita ut nec in secundis feriis, & aliis Festivitatibus Capitulum Ecclesie Beate Mariæ amplius accedat ad Ecclesiam Sancti Salvatoris, nec viceversa Capitulum Ecclesie Sancti Salvatoris accedat ad Ecclesiam Beate Mariæ.

Insuper in actibus in quibus de jure, vel consuetudine requiritur consensus Capituli Metropolitanæ Ecclesie Cæsaraugustanæ, non alternatim, sed simul ad validitatem actus concurrere debeant tam Capitulum Ecclesie Beate Mariæ, quam Capitulum Ecclesie Sancti Salvatoris, ita tamen ut Capitula simul non congregentur, sed unumquodque seorsim hujusmodi consensum præstet.

In futuris autem acquisitionibus inter memoratas Ecclesias, earumque Capitula, & personas, hoc pro regula servari debeat, ut fidelium largitiones tam inter vivos, quam in ultima voluntate, quæ fiant expresso nomine Ecclesie Beate Mariæ de Pilari, ipsi Ecclesie tantum integre acquirantur; & quæ fiant expresso nomine Ecclesie Sancti Salvatoris, similiter ipsi Ecclesie tantum acquirantur absque diminutione; quæ vero fiant sub nomine Ecclesie Cæsaraugustanæ, pro dimidia spectent ad Ecclesiam Beate Mariæ, & pro alia dimidia ad Ecclesiam Sancti Salvatoris, nisi secus in præmissis a Testatoribus, seu Benefactoribus cautam fuerit.

Cœterum in acquisitionibus hucusque factis utraque Ecclesia manuteneatur, & conservetur in ea possessione, in qua nunc reperitur.

In extrahendis vero Cadaveribus ex alienis Parochis attendatur verba decedentium: nam qui elegerint sepulturam in Ecclesia Beate Mariæ, a solis Canonicis illius Ecclesie erunt extrahenda; & e converso, qui illam elegerint in Ecclesia Sancti Salvatoris, debent extrahi a Canonicis ipsius Ecclesie; quo vero ad illos, qui sepulturam elegerint in Ecclesia Cæsaraugustana servetur Ordo Alternativæ, nisi ex conjectura voluntatis eligentium aliud appareat.

Ar-

Decretum  
irritant.

Archiepiscopo autem in extremis laboranti administratio Sacramenti Viatici, & extreme unctionis prima vice spectet ad Capitulum Ecclesie Beate Mariæ, & secunda vice ad Capitulum Ecclesie Sancti Salvatoris, eoque decedente, non electa Sepultura, illius Cadaver hac prima vice sepeliatur in Ecclesia Beate Mariæ, & secunda vice in Ecclesia Sancti Salvatoris, & sic de cætero alternatim.

§. 2. Decernentes easdem præsentis literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Archiepiscopus, ac Capitula, & Canonici præfati, aliive quilibet cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis, seu alias specialis, & individua mentione, & expressione digni in præmissis, seu eorum aliquo jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consentire, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cause propter quas ipsæ præsentis emanant adductæ, justificatæ, & verificatæ fuerint seu ex alia quacumque quantumvis iusta, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormi, enormissimæ, & totalis lesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ aut interesse habentium, seu habere prætendentium consensus, aliive quocumque quantumvis magno, formalis, & incogitato, & incogitabili, specificamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, limitari, modificari, infringi, redargui, ad viam, seu terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, seu impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed illa omnia, & singula semper, & perpetuo firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia invariabiliter, & inconcusse observari, & illis respective plenissime suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliive quoscumque quacumque auctoritate, præminencia, & potestate fungentes, & quodcumque functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quocirca Ven. Fratri Vitaliano Bull. Rom. Tom. I. Par. I.

Executores  
de:

Archiepiscopo Ephesin. moderno, & pro tempore existenti nostro, & dictæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per præsentem motu pari committimus, & mandamus, ut per se, vel alium, seu alios eandem, præsentis literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties ab iis, quorum interest, fuerit requisitus, prævia illarum publicatione tam in Ecclesia Beate Mariæ de Pilari, quam in Ecclesia Sancti Salvatoris, faciat auctoritate nostra ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & invariabiliter observari. Contradictores quoscumque, & Rebelles in præmissis non parentes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliæque opportuna juris, & facti remedia, compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit brachii secularis auxilio; Nos enim eidem Vitaliano Archiepiscopo moderno, & pro tempore existenti Nuncio cognoscendi, declarandi, ac decidendi summarie, & de plano, sola veritate inspecta, ac sine strepitu, & figura iudicii omnes, & quascumque controversias, quæstiones, ac dubia, quæ super præmissis, & illorum occasione emergere, aut quoquo modo oriri contigerit, eaque sine debito terminandi, omni, & quacumque appellatione remota, plenissimam, amplissimam, & omnimodam facultatem harum serie motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus tribuimus, & imperimus.

§. 5. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac quatenus opus sit de non tollendo jure quæsito, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon sel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac præfatarum Ecclesiarum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, earumque Præsulibus, Capitulis, dignitatibus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc ser-

Derogatio  
contrariorum

S 2

van.